

LETE Ptolem. ibid. *Letta & Lita* etiam vulgò nuncupatur. *Petrus* Letes Episcopus eidem Concilio Chalced. subscripsit.

<sup>1</sup>HERACLEA Ptolem. ibid. vulgò *Xevofna* Molano & Nardo. *Euagrius* Heracleæ Episcopus Sardicensi Concilio subscripsit, & *Benignus* Constantinopolitano generali quinto.

PRIMULA Hierocli, in Actis Conc. Constantinop. sub Flaviano: Primopolis cujus Episcopus *Timotheus* ibidem subscripsit. **LUCAS HOLSTENIUS.**

ZAPARA Hierocli, Macedoniae Secundæ civitas in Concil. v. Constantinop. col. 2. legitur, *Sabinianus* Episcopus Zaparenæ civitatis Illyricianæ dioeceseos. **LUCAS HOLSTENIUS.**

THASSUS maris Ægei insula, & civitas ejusdem nominis, *Plinio* lib. 4. cap. 12. non longè à Lemnos insula: vulgò etiam *Taso* dicitur teste *Sophiano*. *Honoratus* Thassi Episcopus subscripsit Concilio Chalcedonensi, ubi mendosè dicitur *Helladis* Provinciæ,

HEPHÆSTIA urbs Lemnos insulæ Ptolem. ibidem, vulgò *Cochino* teste *Hug. Favolio*. *Strategius* ex hujus Ecclesiæ Præfulibus Concilio Nicæno subscripsit, ubi mendosè ponitur in *Mœsia*.

<sup>2</sup>TOPIRIS Ptolem. lib. 3. cap. 11. in Thracia: sed Concilium Chalcedonense *Topirim* in Macedonia ponit, cui quidem Concilio *Eusebius* Topiris Episcopus subscripsit.

SERRE Leunclavio urbs Macedoniae, vulgò etiam *Serre*, fortè *Derris* Ptolem. lib. 3. cap. 13. <sup>3</sup>*Maximinus* Serres vel *Derris* Macedoniae primæ Episcopus subscripsit eidem Concilio Chalcedonensi.

## PROVINCIA LARISSENA SEU THESSALIÆ.

<sup>4</sup>LARISSA Ptolem. lib. 3. cap. 13. Italis *Larizzo* teste *Sophiano*. *Alexander* Lariffenus Antistes Sardicensi Concilio subscripsit, & *Vigilantius* Chalcedonensi.

SCARPHIA Ptolem. ibid. *Steph. & Hierocli*. *Cyriacus* ejus Episcopus subscripsit *Synodicæ* *Gennadii* Patriarchæ Constantinop. tom. 1. *Juris Gr. Rom.* Ea etiam nunc nomen retinet, teste *Sophiano*: sed noster hic cum *Echino* confundere videtur, quamvis infra inter incertos posuerit pag. ult. ubi *Stephanum* ejus Episcopum habet. **LUCAS HOLSTENIUS.**

<sup>5</sup>DEMETRIAS Ptolem. ibidem, hodie *Dimitriada*. *Constantinus* *Demetriadis* Thessaliæ Episcopus eidem Concilio Chalcedonensi subscripsit.

<sup>6</sup>ECHINUS Ptolem. ibid. vulgò *Scarphia* *Sophiano*. *Theodorus* *Echinei* Episcopus adfuit *Ephesino* Concilio, & *Petrus* Chalcedonensi.

GOMPHI Ptolem. *Steph. & Hierocli*. *Eustathius* *Gomphienfis* Episcopus legitur in Concilio *Bonifatii* II. **LUCAS HOLSTENIUS.**

CÆSAREA vel DICÆSAREA Hierocli. *Timotheus* Episcopus *Dicæsarensis* in Concilio Romano *Bonifatii* *Papæ* II. **LUCAS HOLSTENIUS.**

CYPERA Ptol. ibid. vulgò *Cypara*. *Hymaneus* *Cyperæ* Episcopus *Sardicensi* Concilio subscripsit.

B b 3

LA-

### NOTÆ LUCAE HOLSTENII.

<sup>1</sup> *Heraclea &c.*] Collat. v. ubi *Heraclea* *Pelagoniæ* dicitur ad aliorum distinctionem, præsertim *Heracleæ* *Strymonis* in eadem provincia *Macedoniæ*. Illa postea *Archiepiscopalis* fuit, ut habetur in excerptis *Legationum* *Malchi*: nam de *Heraclea* *Pelagoniæ* *Malchum* loqui ex sequentibus patet.

<sup>2</sup> *Topiris*] *Τοπιρίς* Hierocli, qui in provincia *Rodopæ* ponit in Conc. *Ephes. Act. 1* *Τοπιρίς τῆς Ὀρίωνος* Episcopus *Lucianus*. Sic apud *Antoninum* *Topinum* scribitur, pro *Topirium*. In nummo *M. Aurelii* apud *Fr. Gotifred.* circa *Fl. Hebrum* *ΤΟΠΕΙΡΗΤΩΝ* legitur. In aliis circa *Herculem* *scæntem* *Card. Barb. & Franc. Gotifredi* legitur: *ΟΤΑΠΙΑC*

*ΤΟΠΙΡΟC*, & in uno *Magni Ducis* *ΤΟΠΕΙΡΟC* &c. *Lucianus* *Ephesino* subscrip. ubi itidem *Thraciæ* tribuitur.

<sup>3</sup> *Maximinus*] *Σερβίων* in *Græco* &c. *Serræ* *Macedoniæ* olim vocabantur *Philippi*.

<sup>4</sup> *Larissa &c.*] *Basilus* in *Ephesino* stetit à *partibus* *Nestorii*. *Joannes* legitur apud *Gregorium* *M.* Idem inter *Metropolitans*, quibus scribit *Cælestinus* *Papa* in Concil. *Bonifatii* 2. *Stephanus* in Conc. *Bonifatii* 2. & ante eum *Preclus* ibidem.

<sup>5</sup> *Demetrius &c.*] *Andreas* *Demetriadis* Episcopus in Concilio *Bonifat.* *Papæ* II.

<sup>6</sup> *Echinus &c.*] *Theodosius* *Echiniensis* in Concilio *Bonifatii* II.